DISSERTATIO

QUÆDAM

DE

SYPHILIDE

COMPLECTENS.

JOANNE WILSON AUCTORE.

A TEMPORIBUS clarissimi viri JOANNIS HUNTER varia indicia Luis Venereæ, eorumque idonea curatio, tam bene descripta sunt multis optimisque scriptoribus, ut, ante paucos proximos annos, nullus locus esse videretur, aut ulterioris disputationis, aut artis incrementi : veruntamen nullus alius morbus fortasse existit, cujus signa majorem controversiam inter Medicos, majoremve solicitudinem ægris, etiamnum movent. Multum verò hu-

jus dubitationis semper mihi visum est ex solita illa Luis Venereæ divisione in Syphilidem atque Pseudo-syphilidem ortum fuisse; multum quoque ex acceptissima illa sententia hunc morbum ad nos peregrè pervenisse, eundemque certum definitumque cursum, nisi remediis impeditur, semper tenere. In sequentibus paucis paginis, ostendere conabor, primùm, supradictam divisionem morbi inutilem esse; deinde quædam proponere, unde colligere fortasse licebit Luem Veneream sponte et nasci et decedere posse.

DE SYPHILIDIS IN SPECIES DIVISIONE.

Mala quæ ex coitu oriuntur commodè divisa sunt in priora et posteriora. Ex his priora in aliqua parte genitalium se ostendunt, in viris plerumque in glande penis aut præputio; posteriora autem citiùs tardiùsve in faucibus cuteve aut ossibus.

At mala priora plurimùm inter se, et natura et modo, diversa sunt: interdum enim simplex abrasio cutis est; interdum ulcus verè syphiliticum,

vel, quod pejus est, etiam phagedænicum. Hæc ulcera sæpe sponte sanata sunt, vel admotis solùm medicamentis localibus, neque secuta sunt ulla mala posteriora ; ideo, ut dictum est, quia venenum aut in corpus non absorptum fuit, aut non fuit verè syphiliticum.

Veruntamen mala posteriora sæpe oriuntur, sic tamen ut non eò graviora leniorave sint, quò priora magis minùsve infestârunt ; quinetiam nascuntur non rarò ubi hæc omnino non se ostenderunt, aut certè non sunt animadversa. Atque hæc posteriora mala quoque nonnunquam sponte decesserunt ; multaque credibilia exempla narrantur, in quibus discussa fuerunt remediis quæ hucusque ex toto inania habita sunt.

Loquor nunc de iis medicamentis quæ adversus Luem Veneream adhibita subinde fuerunt, antequam Chirurgi Militares hunc morbum remediis localibus victuque tenui et quiete curare cœperunt. Ex his Acidum Nitricum, ante annos circiter viginti et quinque, majorem laudem sibi in hoc morbo discutiendo comparavit, quàm aliud ullum remedium, præter Hydrargyrum, idque ex testimoniis

maxime idoneis : ita tamen invaluerat opinio Luem Veneream certum suum cursum semper tenere, nisi Hydrargyro solo impediretur, ut protinus negatum sit ea exempla, quæ citra hoc medicamentum sanata sunt, (ut de prioribus malis jam dixi,) verè Syphilitica fuisse.

Confitendum tamen est Venenum Syphiliticum etiam hodie interdum pessimam suam formam induere, atque ita respondere gravissimis historiis quas de ejus stragibus Scriptores vetustiores tradiderunt, neque impediri, vel Hydrargyro, vel aliis remediis, donec hominem misere consumpserit.

Constat igitur, ex iis quæ jam dicta sunt, hoc venenum, aut vehementer in natura sua diversum esse, aut certis proprietatibus corporum, in quæ conjectum est, plurimùm mutari. Igitur ex recentissimis optimisque Scriptoribus quidam existimârunt plurima genera hujus veneni esse; quorum singula propria ulcera in genitalibus partibus movent, propriaque mala posteriora, ubi in corpus absorpta sunt, (siquidem omnia absorberi possunt,) pariter excitant.

Ex hac opinione, ergo, Lues Venerea in duas species, Syphilidem nempe et Pseudo-syphilidem, non ita pridem divisa est. Harum prior distinguitur, ut docent, eò quòd certum cursum perpetuò tenet, quodque, uti procedit, magis magisque ingravescit, neque ulli remedio, præter Hydrargyrum, cedit; posterior autem, ut, aut sua sponte, aut aliis medicamentis sæpe solvitur, ita Hydrargyro plerumque intenditur. Itaque Cl. ABERNETHY, optimè de Arte Medica plurimis nominibus meritus, Syphilidem ita definit, ut dicat, "The "constitutional symptoms of Syphilis are generally progressive, and never disappear unless medicine be employed;" ad hoc, "they are generally relieved under an adequate effect of mercury "on the constitution."

Quod pertinet verò ad supradictam divisionem Syphilidis, siqua signa essent per quæ altera species ab altera discerni posset, præter morbi progressum atque inutilitatem omnium remediorum præter Hydrargyrum, (quibus solis Medici in diagnosi sua hucusque usi fuisse mihi videntur,) nemo dubitare posset, quin hæc divisio utilissima esset. At

verò nulla talia existunt; easque ipsas notas, quæ propositæ sunt, sæpe fallaces esse ostendunt frequentes curationes omnium formarum Syphilidis, a Chirurgis Militaribus *, sine Hydrargyro, multaque alia postea dicenda: quinetiam prior ex propositis notis non magis in Lue Venerea, quàm in omnibus aliis pestiferis morbis, respondet; atque posterior ita non perpetua est, ut sæpe Hydrargyrum ipsum, propter certas hominis proprietates, aut dari non potest, aut, si datur, morbum non discutit.

Quinimo vir clarissimus ABERNETHY ipse, qui hanc divisionem morbi in Syphilidem atque Pseudo-syphilidem maximè sequitur, negat ullum proprium signum existere, cui confidere possumus in diagnosi facienda: ut manifestum sit hoc discrimen factum fuisse, ideo solùm ut mala quæ sanabilia sunt citra Hydrargyrum, ab iis disjungantur quæ Hydrargyrum utique postulant; neque Syphilidem a Pseudo-syphilide discerni posse, donec hoc medicamentum adhibitum est, effectusque ejus

* Ferguson, Rose, Hennen, Dease, Thomson, &c.

observati. Idem scriptor, ubi de posteriore malo loquitur, hæc dicit : "The fictitious disease in ap-"pearance so exactly resembles Syphilis, that no "observation, however acute, seems to be capable "of deciding on its nature." Nihilominus alterum ab altero distinguere conatur ; sic tamen ut evidens sit, solum indicium cui credit, effectum Hydrargyri semper esse. Quòd si hoc medicamentum tutum atque efficax utique esset, talis modus discernendi fortasse concedendus foret ; cum verò interdum, atque adeo sæpe, vehementer perniciosum sit, fieri non potest quin, ut longam dubitationem medico, ita summos parumque necessarios cruciatus ægro sæpe afferat.

Quoniam igitur videmus virum summæ existimationis, summæque in morbis venereis experientiæ, confitentem se nescire ullum certum modum inter Syphilidem atque Pseudo-syphilidem distinguendi, præter effectus Hydrargyri, quod ipsum sæpe fallit, semperque periculosum est, neque rarò hominem in discrimen vitæ ipsius adducit; concedendum, credo, utique erit hanc divisionem

a rerum natura alienam esse, neque talem esse, ut in medicina ullo modo prosit.

Præterea, multi alii morbi sunt, ex propriis contagiis orti, quorum signa non minùs quàm Luis Venereæ variis hominibus diversa sunt; nemo tamen dubitat quin contagium unde proficiscuntur idem sit. Quid enim magis diversum esse potest quam Variolæ Discretæ signa a Confluentis, aut Scarlatinæ Gravis a Mitis? Novimus autem hæc discrimina, non ex ulla differentia in ipso contagio, sed ex certis proprietatibus in corporibus eorum in quibus conjectum est, oriri, quamvis hæ proprietates sæpe tam subtiles sunt, ut deprehendi nullo modo possint. Veruntamen, etsi interdum res ita se habet, tamen causæ istæ prædisponentes (uti vocantur) sæpe non tam obscuræ sunt, quin propria forma morbi iis sine ulla dubitatione referri possit. Etenim ardens illa corporis conditio, quæ vulgò Diathesis Phlogistica appellatur, quæque maximè ex potionibus nimis frequentibus et copiosis humorum ardentium proficiscitur, non modò reddit hominem huic contagio magis opportunum, verum etiam, si accedit morbus, hunc multò gra-

viorem atque pertinaciorem facit; atque ita, dum in nave medicinam feci, ubi multò faciliùs quàm in aliis locis accessionem morbi ejusdemque processum observare licet, vidi sæpe quàm diversi fuerint ejusdem contagii effectus, prout alios aliosve affecerit.

Bene quoque cognitum est, quantùm strumosus habitus corporis alios morbos mutet; et quamvis hìc sæpè difficilis est deprehensu, tamen ubi signa ejus manifestiora sunt, (atque interdum tam sunt manifesta ut falli vix possimus,) constat inter omnes de morbis venereis Scriptores, Luem Veneream sic multò graviorem reddi; id quod quidem expectandum fuit, siquidem hi duo morbi magnam similitudinem inter se habere videntur. Igitur in paucis iis exemplis, ubi Luem Veneream in morte terminari vidi, hic habitus corporis evidentissimus fuit; quamvis dubium mihi fuit, an graves isti effectus magis morbo, an Hydrargyro, quo homines impleti erant, tribuendi essent. Quando enim Hydrargyrum adversus Luem Veneream non valet, videtur movere certam irritationem corporis, quâ priora mala mutantur qui-

dem, sed nullo modo tolerabiliora redduntur, quinetiam sæpe tanto graviora, ut hominem miserrimè consumant. Hæc conditio corporis vocata est Scriptoribus magnæ existimationis atque experientiæ, Hydrargyria, sive Erythismus Mercurialis; videturque quodammodo similis esse Pseudo-syphilidi ab aliis sic appellatæ. Occurrit maximè in iis qui jam magnam copiam Hydrargyri assumpserunt; primaque pars curationis est hoc remedium ex toto præcidere.

DE SYPHILIDIS ORIGINE.

Vulgaris opinio est hunc morbum ex America nobis primùm allatum fuisse; et verum quidem est quod, paulò postquam Columbi socii inde domum redierant, Lues Venerea Scriptorum Medicorum curam studiumque sibi multùm vindicavit, tumque demum ex coitu impuro oriri existimata est. Veruntamen nullum firmum testimonium habere mihi videmur hunc morbum ita ortum fuisse; quamvis, cùm maximè sævire videretur,

tum cùm animi hominum novæ orbis monstrorum pleni erant, non absimile fuit fore ut Lues Venerea quoque inter hæc monstra enumeraretur. "Novumque mali genus, inauditum, invisum, incognitum, ignotum *," plerisque existimaretur. Apud CORNELIUM CELSUM † plurima mala describuntur genitalium partium, quæ, hodie si occurrerent, nemo dubitaret ad Luem Veneream protinus referre; quoniam verò ab illo viro non dicuntur ex impuro coitu oriri, huic morbo respondere non vulgò creduntur. Et quidem, postquam semel constitutum fuit Luem Veneream peregrè nobis pervenisse, cætera omnia pæne neglecta fuerunt; omnesque causæ vulgares, quæ aut excitare morbum, aut mutare naturam ejus potuerunt, ex toto prætermissæ sunt.

Non tamen negari potest, quin organa genitalia pariter obnoxia sint variis malis, quam reliquæ partes corporis; quinetiam, ex propria eorum structura et functionibus injuriis magis patere videntur, magisque facile inflammari: neque absimile est

---

* Astruc de Morb. Ven.

† Lib. ii. c. 8.—Lib. vi. c. 18. &c.

ex hac inflammatione certum venenum generari, quod, absorptum in corpus, certa posteriora mala movet; id quod accidit in aliis quoque partibus, in quibus singulis propria quædam mala, et priora et posteriora, simili modo moveri solent. Quod si organorum genitalium structura atque functiones bene considerantur, omniaque quæ aut antecedere aut comitari Luis Venereæ originem consuerunt; mirum videbitur, non quidem tam sæpe homines hujusmodi malis vexari, sed eadem non multo sæpius occurrere. Satis constat Luem Veneream tum præcipue nasci cùm homo ebrietate jam laborat, idque maxime nautis atque militibus; atque ita nulli alii homines tam sæpe quàm isti his malis conflictantur. Quantum verò conferat ebrietas, ad movendum majorem etiam irritabilitatem, in partibus jam satis superque irritabilibus et nudis, abundè manifestum est; quàmque facile sic abradantur aliterve lædantur æque patet. Sæpe igitur frænum præputii in tali coitu rumpitur; et hoc ubi fit, siquando ulla corrupta materia læsæ parti admovetur, ex conditione partium protinus absorbetur.

Ex his, igitur, multisque aliis quæ in historia Luis Venereæ occurrunt, colligere forsan licet, hunc morbum sponte oriri posse; ab aliisque ad alios transmitti, quamvis peregrè nobis non venerit; atque ita verisimile est eundem omnibus temporibus omnibusque regionibus cognitum fuisse, etiamsi formam vehementer diversam in aliis aliisque sumpserit, (veluti alii morbi contagiosi,) pro multis rebus quas omnes prosequi non possumus. Profluvia ex naturalibus fœminarum, in quibus nulla suspicio veneni venerei esse potest, sæpe tam acria esse dicuntur, ut moveant exulcerationem in iis partibus quas contigerint; atque ita aut glans penis, aut urethra sani viri sæpe afficitur ulceribus vel inflammatione, ex quibus absorpta materia, multa posteriora mala facilè excitare potest. Supervacuum tamen esse videtur plura hujusmodi testimonia citare, cùm expertissimus vir Abernethy dicit, se cognovisse "both gonorrhœa "and ulcers occasioned by connection with per-"sons who had no syphilitic disease;" subjicitque, "Gonorrhœa, arising under the same circum-"stances, is so common as to need no exempli-

" fication." Idem quoque, ubi de Pseudo-syphilide loquitur, hæc habet: " It may be right, however, " to remark, that there are cases which would in- " duce the belief, that ulcerated sore throats, erup- " tions and nodes on the bones, similar to those de- " scribed, may occur from a general disturbance " of the constitution, without the absorption of " any infectious matter;" atque postea, " Some " species of animal matter, which are not the pro- " duct of disease, are nevertheless capable of ex- " citing it in others."

Ad hanc opinionem confirmandam, Luem Veneream omnibus locis indigenam esse, liceat mihi dixisse me Gonorrhœam vidisse in incolis Novæ Hollandiæ, longe ab ulla colonia Britannica; atque in iis locis ubi non potuerant morbum accipere ex ullo fonte peregrino; quinetiam homines hujus regionis tam rari sunt, singulique tribus tam inter se discreti, ut neque linguam, neque quidem existentiam, etiam proxime viventium sæpe cognoscant.

Historia quoque Luis Venereæ in Insula Otaheite, ubi plures mutationes subiit, ostendit quam

falsa sit opinio, hunc morbum certum cursum semper tenere, nisi proprio suo remedio impeditur. Hæc insula, uti bene cognitum sit, a Wallis, anno 1767, primum reperta est: quoniam verò incolæ tunc temporis hostiles fuerunt, neque navis diu ibi mansit, non satis commercii habitum est, ut dici firmiter possit, an Lues Venerea tunc ibi cognita esset necne: certe nautæ ejus contagio non affecti sunt. Post biennium aut triennium ad eandem insulam venerunt Cl. Cook, alioque tempore Gallicus circumnavigator Bougainville; quorum uterque Luem Veneream frequentissimam ibi reperit: cùm verò generaliter nimis hoc dictum est, dubium est quâ potissimùm formâ morbi nautæ affecti sint. Sequentibus triginta annis quatuor naves huc pervenerunt, omniumque nautæ (quatenus ex scriptis historiis colligere licet) morbum contraxerunt, incolæque ipsi vehementer tunc temporis eodem laborare dicti sunt. Denique, anno 1801, navis bellica Porpoise, cujus Chirurgus ipse fui, hanc insulam attigit, ibique tres menses mansit. Ex prioribus historiis, atque etiam ex iis quæ colligi potuerunt a certis emissariis, qui plures an-

nos ibi vixerant, summus metus fuit ne nautæ nostri contagio multùm afficerentur; itaque primùm omnibus modis cautum est, ne quid commercii, aut certè quàm minimum, cum incolis esset. Brevi tamen repertum est hæc omnia frustra esse; liberrimum igitur commercium post primam hebdomadam permissum est. Libido nunc effrænata fuit; fortasseque non pauciores quàm duæ ex tribus omnium fœminarum juniorum in insula, variis temporibus, cum nautis nostris rem habuerunt. Nihilominus primo mense ne unus homo quidem ullo malo venereo affectus est; proximisque duobus, tres solùm Gonorrhœâ correpti sunt. Sequente anno, ubi iterum ad insulam pervenimus, ibique duos menses, vicinâque insulâ Eimeo unum mensem mansimus, triginta ex nautis nostris Gonorrhœâ affecti sunt; sic tamen ut nulla alia forma morbi se ostenderit, nullaque posteriora signa occurrerint: unum solum exemplum Herniæ Humoralis fuit, idque in homine admodum ebrioso. Atqui certum est nullos ex nautis nostris morbo ullo venereo, ubi huc pervenimus, laborasse; siquidem omnes paucos ante dies curiosè explorati sunt.

At verò inter primum nostrum alterumque ad insulam adventum, navigiolum huc venerat naufragiumque fecerat, cujus nautas, numero viginti et unum, ibi viventes reperimus, atque inter hos unum qui Gonorrhœâ, paulo ante adventum suum, vehementer affectus erat ; id quod satis explicat hujus mali incrementum. Cùm verò animadverterem incolas nullâ aliâ formâ morbi præter Gonorrhœam, laborare, quæ tunc temporis ex toto discreta esse a Lue Venerea optimis scriptoribus existimabatur, (siquidem illa semper Hydrargyrum postulare, hæc verò affectus merè localis esse, nullumque morbum generalem movere posse credebatur,) non potui non arbitrari Luem Veneream huc nunquam pervenisse ; prioresque navigatores sub hoc nomine significâsse Gonorrhœam solam, quæ eorum tempore, (quæ in opinionibus medicorum mutationes,) omnia mala syphilitica excitare posse putabatur. Itaque, in dissertatiuncula, quæ in libro illo, “ The Edin-“ burgh Medical and Surgical Journal *,” edita

* 1806.

est, hanc sententiam sustinere conatus sum. Attamen postea feliciter mihi contigit in expertissimum nautam Colnet incidere, qui Cl. Cook in duobus itineribus comitatus est, quique mihi firmiter asseruit, se vidisse non solùm Gonorrhœam, sed ulcera quoque verè syphilitica, atque bubones, in multis ex nautis suis; ita ut a priore mea opinione recedere necessarium sit, solùmque relinquatur ut putemus Luem Veneream, spatio triginta annorum, sponte ex insula decessisse. Neque enim incolas ullis remediis uti, præter aquam marinam, cum lacte nucis Coci Nuciferæ, ad alvum purgandam, exploratum habui diligentissimis investigationibus, quas, in multis per insulam excursionibus, cum emissario linguæ perito suscepi, simulque reperi numerum eorum, non ex Lue Venerea, sed ex Febre, vel Intermittente vel Remittente, et Dysenteria, quâ diu vexati erant, imminutum fuisse. Non credibile est nautas ex nave nostra Porpoise contagium Luis Venereæ, siquid in hac regione fuisset, evitare potuisse, post tam liberum cum fœminis commercium quàm jam dixi; vel fœ-

minas illas, quæ castitatem nihili faciunt, a venere abstinuisse, ideo quia morbo affectæ sunt.

Quæritur inter Scriptores, Gonorrhœa unquam generalia signa syphilitica moveat; siquidem ab aliis existimatur hoc nunquam accidere, nisi ubi corruptus humor ex ulcere syphilitico intra urethram profluit, cùm fluxus vulgaris nihil aliud sit, quàm adaucta mutataque secretio ex membrana mucosa; ab aliis autem hunc humorem verè syphiliticum utique esse creditur, solamque causam cur mala generalia tam raro excitet, ideo esse quòd structura partis affectæ tam sit diversa, membranaque mucosa urethræ tanto minùs opportuna absorptioni quàm glans penis aut præputium existat. Utcunque verò hoc sit, quoniam Gonorrhœa sola insulâ Otaheite invenitur, sequitur ut hoc vitium rarissimè certè signa syphilitica moveat. Idem quoque ubique, ut credo, multò frequentius quam Syphilis est; id quod primo aspectu non putaretur fore, cùm venenum difficiliùs, ut videtur, urethram intraret. Clarissimus vir, Doctor Monro Secundus, solebat, in prælectionibus suis, dicere certam copiam muci, in coitu, seminis ejectionem sequi;

portionemque ejus, inter penis subsidentiam, urethram iterum intrare, at ita certum modum præbere, quo venenum aliquod, ei commixtum, in hunc canalem accipiatur.

DE CURATIONE SYPHILIDIS.

Modus curandi hunc morbum, quem nuper tam feliciter secuti sunt Chirurgi Militares, simplicibus lotionibus, summâque quiete et abstinentiâ, tam bene ab iis propositus est, ut hìc eundem inculcare supervacuum sit. Existimatio autem quâ hi viri habentur, publicusque modus quo artem suam exercent, summam fidem dictis illorum conciliant; iisdemque tandem tribuenda erunt omnia bona, quæ generi humano fortasse profectura sunt, ex investigatione quam illi tam feliciter inceperunt. Utrum quidem Hydrargyrum ex toto præcidendum sit, in Lue Venerea curanda, non nisi ex longa experientia colligere licebit; interim verò dubitari non potest, quin quies et abstinentia plerumque sint responsuræ, idque non magis in militibus,

quam in aliis hominibus, si modò pari curâ inculcantur. Quoniam verò hoc difficile est, in iis qui suo arbitrio vivunt, verisimile est fore ut boni effectus horum remediorum minùs evidentes sint in populo, quàm in iis qui valetudinariis curantur, atque præcipue in militibus.

FINIS.